

PAVONIA JULIANAE ET PAULLINIA BERNHARDI,
NOVAE SPECIES SURINAMENSES.

auctore

H. UITTEN.

1. *Pavonia Julianae* Utt. nov. spec.

E sectione *Peltaea*, *Pavoniae speciosae* H.B.K. proxima, sed forma foliorum, indumento, involucri phyllis peltatis diversa.

Suffrutex, caule minute stellato-piloso glabrescente, linea singula pilis simplicibus longioribus vestita in primo internodio ramulorum lateralium adaxiale notato. Folia breviter petiolata, petiolis tomentellis 2—4 mm longis, oblongo-elliptica, elliptica vel elliptico-lanceolata, 3—5 cm longa, 1.25—1.5 cm lata trinervia basi acuta vel obtusa, superiora 5-nervia, basi subcordata, acutissima vel subacuminata, margine regulariter serrato-dentata, supra minute stellato-pilosa, oculo nudo glabra, infra dense sed minute stellato-tomentella. Flores in axillis foliorum vel in apice ramulorum 2—3-glomeratis, bracteis ovato-triangularibus suffulti, plerumque subsessiles, interdum usque ad 4 mm pedicellati. Involucri phylla fere 10 linearia hirta uniserialia, basi paullo connata, apice lamina foliacea peltata, id est supra basin affixa, anguste elliptica hirta, basi rotundata, apice acuta, appendiculata, 4 mm longa. Calyx cupuliformis, ultra medium incisus, 4—9 mm longus, lobis acutis hirtis, nervis trinis conspicuis, binis intermediis brevibus vel nullis. Petala 2.5—3 cm longa, teste collectore roseo-rubra, sicca rosea, basi atropurpurea. Stamina et styli more generis. Carpella 4 mm longa, mutica, dorso costa perpendiculari instructa, transverse nervosa, dense pubescentia.

Surinamo, fluv. Sipaliwini super. prope fines surinamensi-brasilien-ses. Legit H. E. Rombouts n. 430, 31 Jan. 1936.

Typus in herbario Ultrajectino (Utrecht) conservatur. (Fig. 1).

A ceteris speciebus sectionis *Peltaea* dictae clavis sequentis auxilio distinguenda est:




Fig. 1 *Pavonia julianae* Utt.
 a. Ramulus florens. b. Calyx cum involucre a dorso visus. c. Idem a latere visus. d. Carpidii valva cum semine. e. Eadem ab externo visa.

- 1a. Petala lutea. Carpella laevia, breviter mucronulata 2
- 2a. Folia 7—9-nervia. Carpella glabra. (Brasilia, Guiana anglica et batava, insula Trinitatis, Venezuela, Columbia).
..... *P. sessiliflora* H.B.K.
- 2b. Folia 3-nervia. Carpella pilosa. (Brasilia: Matto Grosso)
..... *P. Riedelii* Gürke
- 1b. Petala rosea vel albida. (Carpella haud mucronulata, transversaliter nervosa) 3
- 3a. Involucri phylla peltata 4
- 4a. Folia suborbicularia. Petala albida. Fructus ignotus.
..... *P. Edouardii* Hochr.
- 4b. Folia elliptica vel elliptico-lanceolata. Petala rosea 5
- 5a. Sepala 5-nervia. Petala 1.5 cm longa. Carpella sparse hirsuta. (Bolivia)
..... *P. nigrobracteata* (Rusby) Uitt.
- 5b. Sepala 3-nervia. Petala 2.5—3 cm longa. Carpella dense pubescentia *P. Julianae* Uitt.
- 3b. Involucri phylla haud peltata. (Brasilia, Guiana, Venezuela, Columbia, Cuba) *P. speciosa* H.B.K.

Novum genus *Peltobractea* Rusby cum unica specie *nigrobractea* vocata descripta est in Memoirs New York Bot. Garden VII (1927), p. 300. Characteres differentiales inter *Pavoniam* et *Peltobracteam* vindicantur: 1° bractee peltatae, 2° antherae irregulariter glomerulatae et fere zonaliter dispositae, zona una prope apicem, altera infra medium columnae staminalis, ceteris antherarum glomerulis hinc inde affixis, 3° carpella mutica. Sectionis *Peltaeae* (Gürke in Martius, Flora Brasiliensis XII, pars 3, 1891, p. 476; vide etiam Ulbrich in Engl. Jahrb. 57, 1922, p. 62) auctor ignarus esse videtur, cui bractee involucales plerumque peltatae et fructus vulgo muticae suppetunt. In aliis quoque sectionibus generis *Pavoniae* carpella mutica nequaquam rariae sunt. Dispositio thecarum characterem differentialem non praebet, nam columna staminalis *Pavoniae sessiliflorae* H.B.K., quam exempli causa afferre velim, descriptioni novi generis melius congruit quam figura 5 D in pag. 299 delineata. Bractee latae, deltoideae, foliaceae inflorescentiarum subcapituliformium iis ceterarum specierum sectionis *Peltaeae* similimae sunt. Quae cum ita sint, haud dubito novam combinationem: *Pavonia nigrobracteata* (Rusby) Uitt. proponere. *P. Julianae* illae valde affinis videtur. Involucri phylla plerumque viridia sed interdum fuscescentia vel etiam nigrescentia sunt, sepala autem 3-nervia, petala fere bis longiora, carpella densius pilosa, ut species distincta videatur.




Fig. 2 *Paullinia Bernhardi* Uitt.
a. Inflorescentia fructifera. b. Ramulus cirriferus. c. Fructus.

Nomen datum est in honorem Julianae Ludovicae Emmae Mariae Wilhelminae, augustae Regiae Virginis Neerlandiae, die laetitiae, quo Bernhardo, Principi a Lippe-Biesterfeld, desponsa est.

2. *Paullinia Bernhardi* Utt. nov. spec. ad sectionem *Cryptop-tilon* Radlk. pertinens, *Paullinae verrucosae* Radlk. affinis, quae huc usque unica huius sectionis species. Rami obtuse trigoni, lateribus interdum excavatis, cirrhis scandentes, cortice griseo lenticellis crebris verrucoso. Folia trifoliolata (ut in specimine typico *P. verrucosae*), petiolis brevibus, 1.5—5.5 cm longis, supra concavis, anguste marginatis, infra rotundatis. Foliola 2 mm petiolulata, coriacea, elliptica, basi subobtusa vel acuta, obtuse acuminata, marginibus utrinque dentibus 2—4 parvis, obtusis, distinctis praedita, subrevoluta, glabra nec nisi in axillis nervorum subtus barbata, supra subnitida vel opaca, 7—10 cm longa, 3—5 cm lata. Thyrsi paniculatim congesti, dense minute appresse griseo-pilosi, 6—11 cm longi, 1 cm pedunculati. Cincinni sessiles. Flores (haud visi) 3 mm pedicellati, sepalibus 4 (tertio et quinto fere usque ad apicem connatis) breviter griseo-pilosis, exterioribus perparvis semiorbicularibus, 1.5 mm longis, interioribus fere 4 mm longis. Capsula (non perfecte matura) subglobosa vel ellipsoideo-globosa cum stipite 1 mm longo 1 cm longa, utrinque rotundata, apice stylo apiculata, basi stipitata, griseo-tomentella, alis 6 parvis auriculiformibus, 3 mm altis et latis, deltoideis, obtusis, magis minus basin versus decurrentibus, transversaliter undulato-fibrosis paullo infra apicem praedita, alis trinis medias valvas obtinentibus quam laterales tenuioribus et paullo minoribus. Semen subglobosum, spadiceum, arillo nigro-fusco dorso fisso obtectum, 7 mm diametro.

Surinamo. Ad flumen Lawa, prope Cottica. Legit B.W. (Boschwezen) n. 5313, 4—VI—1921. Typus in herbario Ultrajectino (Utrecht). (Fig. 2).

Species haec appellata est ex Filiae Reginae neerlandicae Sponso, cui nomen Bernhard Leopold Friedrich Eberhard Julius Kurt Karl Gottfried Peter, Princeps a Lippe-Biesterfeld, die sponsalium ante diem sextum Idus Septembres.